

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 7754

**Auteur(s) :** Gervais de Boschel [particulier]

**Bénéficiaire(s) :** Soligny-la-Trappe, Notre-Dame de La Trappe (abbaye)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1258

**Action juridique :** échange

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Gervais de Boschel fait avec l'abbaye de la Trappe un échange et une vente de rentes.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Charencey Hyacinthe (Comte de), *Cartulaire de l'Abbaye de Notre-Dame de la Trappe*, publié d'après le manuscrit de la Bibliothèque Nationale, Alençon, Renaut de Broise (Société historique et archéologique de l'Orne), 1889, B. « De Eodem (= de redditibus denariorum in Corboneto et Francia) », n° LXII (« Carta Gervasii de Boscheel »), p. 104-105.

Texte établi d'après a

Universis presentes litteras inspecturis, Gervasius de Boscheel et Agnes, uxor ejus, salutem in Domino. Noveritis quod nos dedimus et concessimus in excambio viris religiosis, abbati et conventui Domus Dei de Trappa duos solidos et quinque denarios annui redditus pro duobus solidis et quinque denariis redditus quos dictis religiosis tenebantur reddere annuatim Girardus Piloese et heredes ejus de feodo de La Piloesere, quod ipse et participes ejus tenebant de dictis religiosis. Et vendidimus eisdem religiosis et concessimus, pro viginti solidis turonensium, quos ab ipsis habuimus integre, duos solidos et tres denarios annui redditus ; quos predictos quatuor solidos et octo denarios monete cursalis in Corboneto Thomas molendinarius de Croch debebat nobis de terra quam tenebat de nobis apud Corleher in campo de Jarrieto. Et habebunt et tenebunt predicti religiosi de cetero in perpetuum predictos quatuor solidos et octo denarios predictae monete, pro excambio predictorum duorum solidorum et quinque denariorum et pro predictis viginti solidis et pro omni jure et dominio que dicti religiosi habebant in predicto feodo de La Piloesere, ratione predictorum duorum solidorum et quinque denariorum, a predicto Thoma et heredibus suis in festo Omnium Sanctorum annuatim, ab omnibus rebus libere penitus et quiete. Predicta autem pecia terre de qua debetur predictus redditus abotat terre Dyonisii de Corleher et adcostat prato Nicholai des Eveiz juxta Mortuam Aquam, et abotat fosse Girardi Gamin et adcostat ex altera parte terre religiosorum predictorum. Et sciendum quod nos et heredes nostri tenemur et in perpetuum tenebimur garantizare, defendere et ab omnibus et contra omnes liberare predictum redditum quatuor solidorum et octo denariorum in omni jure, dominio et districtu que habebamus in predicta pecia terre religiosis supradictis, vel alibi in nostra hereditate propria, valore ad valorem excambiare, si forte aliquando hoc quod predictum est facere non possemus. Et ut hoc maneat firmum et stabile in perpetuum, dedimus antedictis religiosis presentes litteras, sigillorum nostrorum munimine roboratas, per quas obliga vimus nos et heredes nostros predictis religiosis ad agenda et tenenda fideliter ac firmiter omnia supradicta. Actum anno Domini M° CC° L° octavo.